



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCVIII. Iacobvs II. LXXII. Arch. XXVIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

vi cum Manderscheidis Comitibus urbem bello implicitam ritè composuit. Reparandis etiam ædificiis variis intentus, Ecclesiasticam simul disciplinam erexit. An. 1488. bellum Schöneci Superioris, & Bilsteinianæ ditionis causâ à Palatino & Virneburgiis Comitibus motum, Joannem quoque ad sumenda arma excitavit, intercessione tamen Virorum Principum nova pace compositum. Parùm æquo tamen bello se impeditum fuisse, commentario juris sui edito luculenter docuit. A bellis otium nactus, Sacerdotum quorumvis emendandis moribus operam dedit, Synodo hanc in rem Treviris indicta. Correctionem etiam admittere adacta sunt Monasteria diversa, ut emendationem acciperent. Eadem ætate Boppardia urbs privilegiis ab Archiduce Maximiliano confirmatis freta, & nobilium quorundam instinctu irritata, rebellionem est molita, sed anathematis fulmine percussa haud manus dedit. Quare Archipræsul vicinorum Principum ope nixus, obsidione cinctam civitatem ad obsequium reduxit, Anno 1499. cum in arcem Cochimensem divertisset, conclavi pulvis pyreus de industria subjectus & accensus, unâ cum ædificii parte Electorem in auras evibravit, non absque miraculi existimatione servatum. Annis eo ex tempore duobus duntaxat vixit, mortuus an. 1501. Sed. an. 47.

SECULUM XVI.

XCVIII. IACOBVS II, LXXII. ARCH.

XXVII. ELECTOR.

Jacobus II. stemmate Marchio Badensis, Joannis Electoris nepos, Alexandri VI. Pontificis autoritate invitis Canonicis Archipræsul est missus, & ab iisdem admissus denique, postquam Georgius Rheni Comes Palatinus Jacobo oppositus successit jure. Jacobus igitur iam undique in Solio firmatus, Tre-

virorum

virorum urbem parum amicam sibi aggressus, indulta à Joanne patruo privilegia rescidisset, nisi amicorum multorum preces obtulissent. Subinde partim gliscentibus, partim in apertas flammâs erumpentibus inter Hungaros & Turcas, inter Palatinos & Bavaros, inter Maximilianum Cæsarem & Venetos bellis, consiliis passim adhibitus publicis, cum Coloniam à Cæsare missus veniret inter Senatum & cives futurus arbiter, morbo ibidem ultimo prostratus Elector doctrina insigni, & pari virtute illustris, multorum dolore maximo ad plures abiit an. 1511. Sed. an. 8.

IC, RICHARDVS, LXXIII. ARCH.
XXVIII. ELECTOR.

Richardus è Greiffenclauiensium familia celeberrima oriundus, communibus omnium Canonorum votis in supremam Trevirorum Cathedram est evectus, Princeps tanta Sede, testibus virtutibus sanè rarissimis, nequaquam indignus. Archiepiscopatus sui initio Maximilianum Cæsarem Comitiorum causâ cum numerofo Virorum in Imperio Principum comitatu venientem excepit, cuius precibus Augustis, & plus quam armatis reconditum in ara principe Togæ Dominicæ, & primæ notæ Reliquiarum thesaurum luci publicæ reddidit, ingenti & vix unquam Treviris spectatæ hominum multitudini exhibitum: unde in urbem etiam manavit pestis, & Comitia Ubios translata sunt: literas paulò post Richardus à Leone X. accepit, quibus Maximilianum Imperatorem adversus Selimum Turcarum caput supremum, jam Persarum victorem Europæ formidandum excitari desiderabat. Verùm cum Franciscus I. Galliarum Rex Mediolanensium Ducatui immineret, huius utpote hostis potentissimi & proximi avertendi cura prævaluit in Cæsare, qui in Trevirorum cives, Gallorum partibus apertè faventes, severè animadvertit. Inde Maximiliano fatis concedente desideria omnium pu-